

vero refert, an aqua, vinum &c. res sensibiles, aut elemen-
ta, aut materia Sacra menti dicantur? Interesne, verborum
nexum a J. C. institutum, verba nuncupari aut formam?
Nugae sunt istæ paedagogorum, non Theologorum propriæ.
Jam ad res majoris momenti veniamus.

§. II. Res ipsæ sensibiles & verba, seu materiam &
formam, ut loquuntur Theologi, ex Divina institutione ad
unumquodque Sacramentum constituendum requirit Ecclesia,
unde *Florentini Patres*, „Sacra menta omnia, inquiunt, rebus
„tamquam materia, & verbis tamquam forma perficiuntur:
quam definitionem Verbo Dei satis conformem ex dictis
quæst. I. c. 3. §. 3. abunde constat. Hæreses tamen hic oppo-
sitas habemus. *Pauliciani*, ex una parte, teste *Euthymio P. II.*
Ponoplie tit. 21. omnem materiam a Sacramentis elimina-
runt, arbitrati, Sacramenti virtutem verbis tantum inesse;
ex altera vero parte *Lutherani* & *Calvinistæ* virtutem omnem
Sacramentorum in materia reponendam volunt, aut fere
nulla verborum seu formæ habita ratione. *Lutherus ipse*,
circa Sacramentorum formam, *Gnosticorum* & *Cataphrygum*
errorem renovavit, arbitratus, quamlibet essentiale mutationem
formæ Sacramenti validitati non obstare. En auda-
cissimi hominis verba *l. de Capt. Bab. c. de Baptismo*, „Quo-
“ cumque modo tradatur Baptismus, modo non in nomine
“ hominis, sed in nomine Domini tradatur, vere salvum fa-
“ cit; immo non dubitem, si quis in nomine Domini su-
“ scipiat, etiam si impius Minister non det in nomine Do-
“ mini, vere baptizatus esset in nomine Domini. Itaque,
“ subdit *Venerabilis Bellarminus*, itaque si quis dicat: ego
“ te baptizo in nomine Lutheri, vel in nomine Catharinæ
“ uxoris ejus, vel etiam in nomine Diaboli, erit verus ba-
“ ptismus, modo qui suscipit accipiat in nomine Domini.
Hactenus *Bellarminus*.

§. III. Ceterum Catholica Ecclesia docet, verba, quæ
Sacramentorum formam constituant, consecratoria esse debe-
re. hoc est, a J. C. Ministerio prolatæ in persona ejusdem
J. Christi Domini nostri, cum intentione vere consecrandi,
vere baptizandi &c. quæ verba, ut loquitur *Eftius in IV.*

Sent.